

illud, quod dicunt, uulnus infligi potuerit. Quid est ergo, quod hoc uulnus lethale, nostræ naturæ inflictum, nulli, quæ nobis, imputari possit, ac debeat; nec de ullo, quâ de nobis ipsis ualeamus conqueri? Numquid ipsi, nobis, hoc est, unusquilibet nostrum sibi, lethalis huius uulneris causa est?

*Impertinens Ec-
clesiastæ, quâ
inducunt sen-
tentia.*

10. Neque hinc pertinet, quod ex Ecclesiaste afferunt. Hoc scio, quod Deus ab initio fecerit hominem rectum, sed ipse infinitis se immiscuit quæstionibus. De protoplaste etenim, et origine nostra, Adam, hoc uerum est, quod, cum diuina benignitate, naturæ foelicitatem, cœlestium donorum diuitijs ornata, assequutus teneret, sua ipse dementia, in uanitatem prolapsus sit: ut ipsi, merito suum ipsius exitiū attribuendum fuerit. Sed ad unum quemlibet nostrum, præsertim, recens natorum, & quam diu boni, malique ignoramus differentiam, quo pacto illud pertinet? nūquid ipse paruuli immiscuerunt infinitis quæstionibus, cum ante recti a Deo essent conditi?

*Que spiritui
s. affingant ad
necessarij.*

Nec est uerum, quod dicunt a spiritu s. per scripturam pronuncari. Omne figmentum humani cordis, hoc est, quicquid ingenium nostrum concipit, instituit, agit, molitur, tantummodo, semper, & necessario malum esse. In Genesi quidem, de corruptissimis eius sæculi moribus, qui in omnes inundauerat, ob quos, uno Noë cum suis excepto, aquis diluuij deleuit deus uniuersum genus hominum, ita legitur. Videns autem Deus, quod multa malitia hominum esset in terra, & cuncta cogitatio cordis ad malum intenta esset omnitempore, poenituit eum, quod hominem fecisset in terra. Sed hæc, de illius sæculi hominibus, quos uniuersos, ob innumerabilium, & nefandissimorum scelerum portenta (quæ apud Berosum, magis speciatim explicata inuenies) aquis diluuij inuoluit, & abstulit.

Quod uero refert Moyses, dixisse dominum, de pronitate